

*Quæ res in ciuitate: Spondæus, vt: Etsi. Dactilus: Et quoniam semper. Dichoreus: Hoc breuissime dicam.*

In medio promiscue pedes adhiberi possunt omnes; hoc saltem obseruato, vt vbi orationem volueris celeriore & fluentem, crebros adhibito Trochæos & Iambos: vbi vero tardiore, crebros interpone spondæos, vbi vero medium concupieris, mixtos illos interfere.

6. In clausulis non senis à fine syllabis retrorsum pedum obseruatio longius procedit, & bysyllabis pedibus tantum definiri potest. In Clausulis apti sunt hi pedes, Choræus si sequatur mox monosyllaba longa, vt Cicero: *Non scripta sed nata lex*: Molossus præcedente syllaba breui, vt Cicero: *Scimus, vbicunque sunt esse pro nobis*. Omnium optimus est in fine Ditrochæus quem Cicero pro lege Manilia centies decies quater adhibuit, vt: *Dictum patris sapiens temeritas filij comprobauit*. Huic similis est Epitritus qui constat ex Choræo & Spondæo: *Vt ad istos honores peruenirent*.

*Cautela.*

Sed cauendum ne quid in numero hoc oratorio nimium vel operose vel curiose agas. Nam totus hic locus, vt ait Quintilianus, non ideo tractatur à nobis, vt oratio quæ ferri debeat ac fluere, demetiendis pedibus ac perpendendis syllabis consenscat. Satis in hoc nos componit multa scribendi exercitatio, vt ex tempore etiam simul: fundamus.

*II. Modus.*

Alter modus dimensionis oratoriae consistit in suau: quadam litterarum, syllabarum dictionumque inter se consonantia & Euphonia. Quæ sane Euphonia præsertim in clausulis multo excellentior per se videtur, quam ipsa pedum modi prioris obseruatio.

Sed quoniam hæc tota elegantiae est, ideo à nobis in doctrina de sermonis elegantia pertractata sunt. Legantur quæ illic de Orationis ordinatione & Euphonia præcepta sunt.

*Atque hæc est figura dictionis in soni dimensione: Sequitur species altera quæ est in soni repetitione.*

*Soni repetitio est, quæ idem sonus aut suauitatis, aut amplificationis gratia repetitur. Hæc non est specialis figura vt à quibusdam statuitur: sed genus, sub se multas alias repetitionum species continens, cuiusmodi sunt hæc nouem: Epizeuxis, Anadiplosis, Climax, Anaphora, Epistrophe, Epanalepsis, Epanodos, Paranomasia & Polyptoton.*

*Repetitio*